

## §. XIII.

Maneat itaque B) τροχὸς, in significatu *rotæ*, in quo & plurimi Intt. consentiunt, quanquam in determinando totius phraseos sensu mire discrepent; Vix quidquam est in omni rerum natura τροχούσες, quod in subsidium non vocaverit aliquis Intt. ad hujus loci interpretationem; Non defuere I) qui τροχὸς γενέσεως, quem lingua inflammare dicitur, extra hominem, cuius linguae id tribuitur, querendum esse existimarunt; Atque huc pertinet A) TH. BEZA, ad locum nostrum hæc annotans: *mibi videtur minus dura explicatio, si τὸν τροχὸν accipiamus ἀντὶ τῆς κύκλου,* & τῆς γενέσεως pro τῆς κτίσεως, ut significetur, linguam posse vel totum orbem conditum accendere, &c. atque sic JAC. WINDETVS quoque, *de vita functionum statut pag. 28.* omnium rerum naturalium ἀνακυκλωσιν abs JACOBO Cap. III, 6. τροχὸν γενέσεως vocari statuit; nec in summa rei dissentit JO. COCCEJVS, cui pariter γενέσις h. l. notat *res creatas*, & τροχὸς *orbem*, adeoque τροχὸς γενέσεως totum hunc mundum. Pertinet huc B) Int. SYRVS qui verba nostra vertit: & lingua,

VM.

gua , ubi fuerit in membris nostris, contaminat to-  
tum corpus nostrum, & accedit series generationum  
nostrarum, quæ currunt ut rota; & huc tendit quoque  
**LAMB.** **BOSII,** **JO.** **ALBERTI,** **ELSNERI,** &  
**WOLFI** explicatio, qui per rotam γενεσεως intelligunt  
generationes alias aliis successuras Cob. I, 4. omnes-  
que a lingua communis fato incendendas, q. d. Apo-  
stolus: lingua malo suo afficit primores nostros, nos  
adhuc afficit, & afficiet post nascituros, ut rota nat-  
ivitatis sit abstractum pro concreto, & series genera-  
tionum sibi succendentium dicatur pro hominibus nascen-  
do sibi succendentibus, uno verbo, pro toto genere  
humano; vid. quæ WOLFIUS & HEISENIUS pro  
ornanda hac sententia adferunt; Cel. MICHAELIS  
autem ex hac explicatione necdum satis se intelligere  
ait, cur tam insolita phrasi usus fit JACOBVS, neque  
enim in se redire generationes, ut rotæ similes existima-  
ri possent; At non adeo inepta aliis forsan videbitur  
hæc metaphora, si consideremus, quæ WOLFIUS  
~~ex ISIDORO Pelus. DIETERICI antiqu. bibl.~~ &  
~~SCHOETGENIO,~~ hanc in rem adfert; Aliud est,  
quod in hac sententia male nos habet, hoc nimirum,  
quod,

quod, stante illa, ὄλον τὸ σῶμα in antecc. accipiendum esset de toto corpore humani generis, non de proprio cu-jusque hominis corpore, id quod tamen ipse WOLFIVS non admittit, & recte quidem; non enim, quem influxum habeat lingua in macrocosmum, in *alios extra nos*, JACOBVS heic docere instituit, sed quem habeat in microcosmum; quod ipsum etiam HEISE-NIVS urget, pag. 830. §. XVI. scribens: „præcedit ἀμετως de lingua, quod maculet totum corpus. Cujus quæso? Hominis dices, non humani generis, quod, ut unum corpus non habet, ita nec græca lingua accepit. Vide ergo, annon saltus committatur, si ab homine in individuo statim ad totum hominum genus provoletur, &, annon illa præferenda sit explanatio, quæ hunc fundit sensum: Lingua (homi-nis) corpus contaminat, & (ejusdem in individuo hominis) inflammat τροχον γενεσεως.„ Atque sic & BEZA E expositio eandem ob causam admitti nequit; Cujus est σῶμα, quod lingua contaminat, ejus quo-que est ὁ τροχος γενεσεως, quem ista inflammat, i. e. hominis ipsius, qui lingua peccat, non totius mundi extra illum.

#### §. XIV.

Viderunt hoc alii, ideoque per τροχον γενεσεως, de quo Jacobus loquitur, II.) intelligendum putarunt vel partem aliquam corporis humani, vel aliquid ad totum hominem spectans. A) Qui de parte corporis hu-mani heic cogitarunt, iis varia in mentem venere, quæ appellationem τη τροχες γενεσεως sustinere pos-

H

sint.